



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petrus Cnapeus Sev Fvlllo In Thoma VVegeino,
Lvtherano Theopaschita Redivivvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1609

§. 18. Asclepiades Episcopus Tralliarum veteri & nouo Fulloni σωφρονειν.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65394)

discipulus, scindis Christi diuinam substantiam in carne, & cum Valentino eruſtaſti, dicens, (ſicut ille) immortalẽ crucifixum fuiſſe, & diuinam naturam ſerui ſupponens paſſionibus? Quid conticebo, vel loquar? Num Paulianiſtam te acclamabo? Tamen in tuis literis dixiſti, poſt Trinitatem, Chriſtum propter nos crucifixum. Num Manichæum te dicam? Tamen tu tibi ipſi reprehẽſibilis factus fuiſti, Deum, non Chriſtum, dicens crucifixum. Num Neſtorianum te appellabo? Sed approbaſti, poſt Patrem non confiteri laudatum à fidelibus Filium Dei fortem, carne crucifixum. Num Apollinariſtam te dicam? Commiſcuisti enim ſicut ipſe, Deum confundens paſſionibus carnis.

§.18. *Aſclepiades Episcopus Tralliarum veteri
& nouo Fulloni σωφροειν.*

Tua additio Crucis in Trifagio appoſita, impia blaſphemia eſt, &c. Cum graues terræmotus ciuitatem Conſtantinopolitanam occupaffent, magnus & paruus, diues & pauper, ſeruus & liber, extra ciuitatem in Campo ſedentes, ſimul concurrerunt, frigore, & hyeme ibidem perdi malentes, quã ciuitati ipſi coniungi. Quibus ubi Deus parcere clemẽter dignatus eſt, reuelauit B. Proclo Trifagium acclamare, cum ipſi ad propulſandã iram litanias facerent. Et hoc clarè non vni, vel duobus notum fuit, ſed, toti mundo. Si ergò introduxit Deus in eo dicere crucem, quomodo non reſpicit ad iniuriã ſuam? Dixit enim, dici; ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctis immortalis, miſerere noſtri. Quomodo ergo tu auſus fuiſti apponere crucem, præter Deum, & ſanctos Patres, Patrem confundens Filio, & Spiritui ſancto, in Trifagio vocans crucem, tanquam apud te Pater non eſſet Pater ſolùm, ſed & Filius; & Filius, non eſſet Filius ſolùm

solùm, sed & Spiritus; & Spiritus sanctus non esset Spiritus solùm, sed & Filius. Propter hoc: Si quis apponit in Trisagio crucem præter Filium Dei, anathema sit. Si quis quaternitatem introducit in Trisagio, apponens post Trinitatem Christum crucifixum, anathema sit.

§. 19. *Synodus Quinisexta in Trullo, nouo Fullo* ANATHEMA.

Quoniam in nonnullis locis didicimus in sanctissimo hymno additamenti loco dici post illud, sanctus immortalis, hoc, Qui crucifixus est pro nobis, miserere nostri: id autem ab antiquis sanctis Patribus, ut à pietate alienum, ex hoc hymno eiectum, cum scelerato hæretico, qui hanc vocem innouauit, nos quoque confirmantes ea, quæ à sanctis nostris Patribus prius piè cõstituta sunt, anathematizamus eos, qui post præsens decretum eiusmodi vocem admittunt, vel aliquo alio modo sanctissimo hymno adiungunt. Et si est quidè sacerdotalis ordinis qui transgressus est, cum sacerdotali dignitate priuari iubemus: sin autem laicus, vel monachus, segregari.

§. 20. *Theodorus Balsamon VVegetino, Fullo* nouo *χαίρειν κναφικῶς.*

*Balsam. in
diç. Can.
Trullan.*

Stolidus ille & maledicus Petrus (Thomas) Fullo in sanctissimo Hymno fecit additamentum, dicens, postquam dictum esset: *sanctus immortalis*: debere dici: *Qui crucifixus es pro nobis; miserere nostri.* Quod quidem additamentum Ecclesia non addidit, ut quod quartam personam inducat, & Dei filium, Seruatoris scilicet cõsistentem facultatem, seorsum ponat, & Christum crucifixum tanquam alium esse à forti, & affectionibus esse subiectam Trinitatem opinetur, & Patrem vnà cum

F 3 filio